

† R. P. Philippus Ner. Toti.

Natus est hic carissimus confrater die festo S. P. N. Alphonsi, 2 augusti a. 1866 in Alatri, quae est civitas episcopal is in provincia Romana, e familia pia, quae praeter eum alterum fratrem inter laicos Congregationi nostrae dedit. Philippus a puero ad sacerdotium vitamque religiosam a Deo se vocari sensit, quare in civitatis natalis gymnasio sub cura Patrum Congregationis Somaschae in studia incubuit. Cum vero aetatem annorum septemdecim attigisset, primum de ordine Capuccinorum cogitare coepit, cum autem res tarde procederet, sacerdote quodam, qui domum nostram Frusinonensem optime noverat, suadente ad Congregationem SS. Redemptoris animum convertit, in quam admissus est. Novitiatum in domo urbana ad S. Alphonsum peregit, magisterque eius testatur in eo se nihil invenisse, quod reprehenderet.



Ad vota religiosa admissus est die 25 martii 1886. In studiis ingenio bono praeditus bene processit, et quia musica sacra delectabatur, ad quam voce pulchra et valida instructus erat, in sacriss functionibus ad Dei gloriam studiose cooperabatur. Anno denique 1893 die 18 martii ad sacerdotium promotus est. In altero novitiatu magistro P. Curti tantum profecit, ut inter primores provinciae Romanae missionarios postea numeretur. Latium, Tusciam, Liguriam finesque Venetorum praedicans percurrit, et cum bis altero novitiatui praefectus esset, non paucos ad laborandum in vinea Domini operarios instruxit provinciaeque ea re multum profuit.

Cum ingenio esset pacifico et placabili, amorem et benevolentiam eorum, qui eum noverant, facile sibi conciliabat. Ideo superiores aptum eum putaverunt, cui munera gravissima committerent. Cum domorum Certonensis et Mutinensis rector fuisset, superior provinciae Romanae creatus est, quo in munere capitulo generali anni 1909 interfuit. Anno deinde 1915, cum P. Gasparini, rector et parochus ad S. Ioachim in urbe, valetudine mala uteretur, P. Toti in eius vicem vocatus est, quo in munere annos sex versatus morbum contraxit in exercenda animarum cura, cui denique succubuit. Numquam enim, sive verbum Dei praedicans, sive aegrotos invisens, sibi pepercit atque non tam verbo quam potius exemplo subditorum studia in cura animarum concitatbat. Eius opera in ecclesia nostra parochiali hora eucharistica inducta est. Multum etiam ad ornatum basilicae contribut, inter quae nova candelabra numeranda sunt, quae sumptu 10000 lib. comparavit, thronus deinde B. M. V. de perp. succursu et magnae lampades ad altare maius ecclesiae.

Nocte Natalis Domini a. 1920, cum cantu chorali ad missam sollemnem defessus esset, ad infirmum properavit, cui moribundo adasset. Domum reversus aegrum se sensit lectumque petere coactus est, cumque medici, quamquam de genere morbi discordes, omnes tamen dicentes eum esse gravissimum, rectoratu et parochia liberatus in domum Frusinonensem translatus est, ubi re in melius verti visa ministri munus suscepit atque etiam verbum Dei praedicare missasque cantare coepit. Sed post non multum temporis morbo revertente Romae curam medicorum quaesivit, cum vero nihil proficeret, Frusinone pie ad mortem se parare coepit, quae post longos dolores die tandem 19 octobris a. 1922 vitae eius religiosissimae inter labores apostolicos cum maxima sollicitudine, pietate, caritate peractae finem fecit. Die 21 octobris confratrum cum P. Provinciali et cognatorum multaeque hominum turbae comitatu elatus est, ut resurrectiōnem in Domino exspectaret. R. i. p.!



Attendas, ut sis fidelis. Videbis enim Deum, qui tam gratus et fidelis est, statim tibi gratias augentem, quas iam tibi praeparat. Animum igitur colligas recognitesque pro Deo, qui tanto amore dignus est, quique tanta fecit pro anima tua, quidquid feceris, etiam si vitam profuleris, parum esse.

(*S. Alph. ad Nic. de Robertis, d. 7 apr. 1744.*)